

CAP. VII.

DE SENSUUM INTERNORUM PURGATIONE.

138. — **Praenotandum.** — « Fons et origo totius mali, inutiles sunt exteriorum interiorumque occupationes sensuum, discursus inanes, et infructuosa hominum familiaritas, » ait Tauler. (c. 25, *inst.*). Igitur « vigilandum semper est ut mens continue sollicita nunquam relaxetur intentione superna; ne laboriosa deserens, in cogitationibus fluxis, quasi in quibusdam mollibus stramentis jacens, venienti corruptori diabolo, mens se resoluta prostituat » (S. Greg. Magn. l. 20 *Moral.* c. 5). Unde non sufficit externos sensus cohibere si interni absque fraeno relinquuntur, imo externi sensus acrius movent bellum, cum interni negliguntur. Anima siquidem otio externo et internae pigritiae et negligentiae dedita, ad certam currit spirituales ruinam.

ART. I. — De sensibus internis generatim.

139. — **Notio sensuum internorum.** — NOMINE SENSUUM INTERNORUM intelliguntur illae facultates sentientes quae percipiunt objecta materialia per eorum species jam acceptas ope sensuum externorum,

qui quidem sensus homini necessarii sunt ad rectam intellectionem.

140. — **Quatuor sunt sensus interni.** — 1° *Sensus communis* ad quem omnes sensus externi tanquam ad commune receptaculum omnes sensationes referunt. — 2° *Phantasia seu Imaginatio*, quae magis impressas retinet species. — 3° *Aestimativa*, quae in homine dicitur *Cogitativa*, quaeque apprehendit insensata ex sensatis, seu ex phantasmatibus aliquas intentiones colligit, sicut in ove ex phantasmate lupi colligit intentionem inimicitiae, et ex phantasmate canis, intentionem amicitiae. — 4° *Memoria* ad hujusmodi conservandas intentiones.

NOTA. Nomine sensuum internorum saepe *latissimo sensu* intelliguntur AA. etiam intellectum et voluntatem, quae quidem facultates omnino diversae sunt ab internis sensibus strictè talibus. Attamen, ut alii fecerunt, nos sub capite de sensibus internis, agemus etiam de intellectu et voluntate.

141. — **Memento circa potentias generatim** ex D. Thom. p. 1, q. 77 et 78. — I. Plures sunt potentiae animae. Anima enim est in confinio spiritualium et corporalium (ipsaque spiritualis est). — II. Potentiae distinguuntur per actus et objecta. Ordinantur ad actus. — III. In potentiis animae est ordo. Anima est una, potentiae plures. Ab universali ad pluralitatem natura pergat ordine. — IV. Omnes potentiae animae non sunt in anima: nam organicae sunt in toto composito: per prius in anima ut in principio, quam in composito. — V. Potentiae animae

procedunt ab ejus essentia: quia vel sunt in anima, ut in subjecto, vel in composito, quod non est actu nisi ratione animae. — VI. Una potentia animae oritur ex alia. Quia perfectiores sunt principia aliarum per modum finis et activi principii; imperfectiores sunt principia aliarum per modum principii susceptivi. Sensus ob intelligentiam. Ordine formationis, animal est ante hominem. Recte dicitur ergo, quod actus unius potentiae causatur ex alia, ut actus phantasiae a sensu. — VII. Destructa carne, potentiae sensitivae non manent, seu melius: potentiae quae sunt in composito, ut in subjecto non remanent in anima a corpore separata, nisi virtualiter. — VIII. *Quinque potentiarum genera distinguuntur: vegetativa, sensitiva, appetitiva, motiva (moveret corpus e loco in locum), et intellectiva.*

142. — **Objectum** QUATUOR SENSUUM INTERNORUM, stricte talium, est vastissimum, utpote quod totum mundum materialem complectitur cum qualitatibus et maxima varietate omnium rerum corporearum. Unde, etsi cognitio sensitiva sit infimus gradus cognoscendi, nihilominus magna praedita est virtute et nobilitate. Quapropter viri spirituales debent serio invigilare, ne dum externi sensus quiescunt, et jam separati sunt a pravis et periculosis objectis, interni ex negligentia purgationis, fiant adhuc receptores et conservatores specierum, quae virtutibus contrariantur et animae detrimentum inferre possunt, si non rejiciantur: uno verbo, voluntas refragnet, moderet et custodiat internos sensus juxta rectam rationem, et ratio et voluntas obediant divinae voluntati.

ART. II. — De Sensibus internis speciatim.

143. — **Sensus communis** est *vis percipiens sensationes omnium sensuum externorum et earum differentias discernens.* — DISTINGUITUR A SENSIBUS EXTERNIS, quia isti nequeunt propriam percipere sensationem et ejus differentias. Attamen ex Seraphico, sensu communi non fit nova apprehensio, sed completur et ad perfectionem ducitur apprehensio sensus particularis: etenim, addit Angelicus «sensus communis nobiliori modo recipit, quam sensus proprius, propter hoc quod virtus sensitiva consideratur in sensu communi ut in radice et minus divisa». Unde, sensus communis est quasi radix communis a qua procedit vis sentiendi, et centrum ad quod terminantur omnes organorum immutationes. — Per sensum communem, *intra nos sentimus quidquid sensus externi attingunt.* Dicunt scholastici quod sensus communis residet simpliciter in cerebro, vel ut alii aiunt, in anteriori parte cerebri ad frontem.

144. — **Sensus communis moderatio.** — 1° *Homo sciens malum debet ab eo fugere, ne inficiatur atque fiat veluti animal immundum quod spurcitas et foetorem indifferenter admittit.* — 2° *Ratio ergo praesideat sensui communi, tanquam censor vigilantissimus, qui mandat ut rejiciantur quae nociva sunt, nec admittit quae immunda videntur, nec confundit bonum inter et malum ex exhibitis objectis. Vae illi*

qui omnibus sensationibus acquiescit! Vae, vae illis qui sensum communem sinunt infectionibus repleri et in receptaculum Satanae converti per malitiam voluntatis a via Domini declinantis! Sensus communis nobis manifestat exteriora et mundana objecta: debet ergo vir spiritualis sola bona accipere, mala vero, id est, quae animae nocumentum inferre possunt, omnino respuere.

Monita. — I. *Distingue sensum a consensu.* Non poteris siquidem pravas sensuum impressiones intrate non sentire, sed poteris et debes non consentire, illisque resistere. — II. Sicut curam habemus de sanitate et integritate sensuum externorum, ita incumbere debemus integritati et sanitati sensus communis, ut ex integro subiciatur superiori parti hominis, et sanitatem conservet, repellendo omnia quae internum gustum depravant, quaeque in graves animae languores inducunt. Multi enim ex consuetudine vitae sensualis, et quasi mere materialis toti sensuales efficiuntur, ita ut interius exteriusque sola sensuality anhelent et quaerant. — III. Qui sensum communem non moderatur, ejus corpus et anima involvitur veluti quodam aere diabolico quo homo totus pestiferus effectus, Deo, et Angelis, et hominibus abominabilis est. — IV. *Si secundum carnem vixerimus moriemur;* ergo spiritu facta carnis mortificemus, externos sensus sub fraeno cohibentes, internas apprehensiones sub dominio rectae voluntatis continentes.

145. — *Phantasia* idem sonat ac *apparitio*,

estque *facultas servandi species sensibiles objectorum jam a sensibus externis apprehensorum, easque rebus absentibus percipiendi*: quae quidem species sensibiles vocantur *phantasmata*. — PHANTASIA VOCATUR ETIAM IMAGINATIVA, seu *imaginatio*, quae sic definitur a D. Bonaventura: vis animae intuens res corporales absentes. — *Phantasia est perfectior sensu communi*: quia 1° rebus absentibus exercetur, nec immediate a perceptione sensuum externorum haurit suas species, sed eas habet in se continuo servatas; 2° unde stabiliter retinet; dum sensus communis transeunter tantum, et ad praesentiam rei externae; 3° species sensatas componit, id est, innumeras species congerit et congregat. Hinc merito docet S. Bonav. quod phantasia componit formas novas secundum similitudinem formarum a particularibus sensibus receptorum. — Ergo ratio praesentiae et absentiae actualis sensationis valde explicat differentiam inter *sensum communem* et *phantasiam*. — Lato sensu et minus recte aliqui *idem intelligunt per sensum communem et phantasiam*.

146. — *Phantasiae moderatio.* — Cum imaginativa per peccatum Adae multum manserit debilitata, magna viris spiritualibus movet bella, et quieti orationis multa praebet impedimenta. Unde vir perfectionis studiosus debet vanas phantasias ab oculis cordis avertere, et serio incumbere moderationi imaginationis, illam iudicio intellectus et imperio voluntatis regendo et cohibendo. — Phantasmata vana compa-

rantur (relate ad perfectionem) asino Abrahae extra locum adorationis et sacrificii relinquendo, id est, vana phantasmata ab exercitiis devotionis separentur, et humanis negotiis ne implicemur, cum orationi vacamus. — *Ergo purgetur phantasia a pravis, a vanis, a nimis.*

Monita. — I. *Imaginationi ne nimis indulgeas*, aliter fies incapax rerum seriarum ac proinde vitae interioris. — II. *Imaginationi non facile credas*: aliter nullam fere invenies quietem in vita sociabili, et a fortiori in vita devota, tibi aliisque fies valde gravosus. Quot vanos timores, anxietates et perturbationes causat immoderata phantasia! — III. *Noli relinquere imaginationem vagantem*, quia vehementer te impellet ad delectationes sensibiles et cupiditates terrestres. — IV. *Imaginationi non facile immitteris*, aliter enascetur fictionum amor, et a veritate facile declinabis. — V. *Imaginatio tua nobilitetur per exercitium devotioni, orationi et pietati conforme*: tibi frequenter repraesenta coelestia habitacula, coelestem Sanctorum felicitatem, pulchritudinem paradisi; item tormenta damnatorum, et alia quae cor tuum a terrenis separent et ad coelestia elevent. — VI. *Cave ab objectis mundanis, quae imaginationem nimis et haud recte exaltant et periculosam reddunt, ut lectio librorum fabulorum (Romans, Novelas) etsi honestorum, immoderatus pruritus sciendi quidquid in civitate fit, etc.* — VII. *Neque admittendae sunt excusationes illorum, qui quasi insuperabilem difficultatem cohibendi phan-*

tasiam semper in ore habent, ut multas excusent imperfectiones, levitatem, impatientiam, necnon acediam et pigritiam ad proprios defectus corrigendos, etenim ipsi philosophi tenent quod « homo potest uti phantasia quodammodo pro sua voluntate: » ergo potest cohiberi....

147. — *Æstimativa* (quae in nobis dicitur etiam *cogitativa*), est *facultas deprehendendi in rebus per sensus exhibitis respectus concretos individuales, qui tamen per sensus externos apprehendi nequeunt*. Dicitur *aestimativa*, quia aestimamus per illam aliquid quod sensibus non attingitur. Per hanc ergo facultatem, apprehenduntur in rebus corporalibus, respectus noxii, vel utilis, amici vel inimici, convenientis vel disconvenientis propriae aestimantis naturae. — Ergo « officium aestimativae est apprehendere intentiones non rationis sed naturae, » ait Seraphicus; id est, non apprehendit rerum respectus qui ratione intelliguntur et manifestantur, sed qui sola natura imprimuntur: unde dicimus *sentire* quae tali modo apprehendimus. — Quia vero *aestimativa* in nobis multum participat de virtute rationis, vocari solet etiam *COGITATIVA* vel *ratio particularis*. — *Æstimativa* videtur (lato sensu et improprie, non vero realiter) iudicare et ratiocinari, seu melius has animae facultates *quodammodo* imitari. — *Æstimativa differt a sensu communi*, quia iste percipit tantum sensationes sensuum externorum: et *ab imaginativa seu Phantasia*, quia ista retinet tantum et componit species sensatas; *aestimativa*

autem percipit respectus concretos et individuales qui sensibus apprehendi nequeunt: unde magis accedit ad intellectum, ac proinde perfectior est.

148. — Aestimativae seu cogitativae moderatio.

— Cum aestimativa seu cogitativa ex phantasmatibus intentiones colligat, non est in nostra potestate malarum aut inanium cogitationum carere, quia dictae cogitationes malae oriuntur ex suggestione Daemonis nos vulnerare volentis, ex humani cordis imbecillitate, et ex nostra concupiscentia; quae enim concupiscimus, ardentem amamus, juxta illud S. Laurentii Justiniani: Vis nosse ubi thesaurizas? attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. — Ergo divino fretus auxilio, resiste: 1° omnibus suggestionibus pravis; 2° omnibus inutilibus et inanibus: aliter difficilis, si non impossibilis evadit attentio in oratione, exercitium devotionis et perfectionis progressus. Per primum ergo resistes peccatorum damnis; deinde habitualis divagationis periculis, et incommodis. Sic orando, pugnando, rejiciendo, pervenies ad numeri talium cogitationum diminutionem et attenuationem.

Monita. — I. *Assiduum purgandi defectus studium generat sanctas cogitationes: vita vero incuriosa et mundana multas producit periculosas et pravas.* Etenim si adhuc multas defectuum voluntarie retines sordes (a fortiori si mortalia admittis), quasi ex abundantia cordis inutilia et prava producentur in te. « Non sordidae cogitationes mentem sordidam reddunt, sed ex mente sordida, sordidae

cogitationes exeunt » (S. Prosper, l. 3, *de vit. contempt.*). « Non potest fieri ut in mala opera exeant cogitationes bonae: quoniam hoc actione ponitur, quod corde concipitur » (id. sent. 81). — II. « Nihil ita allidit virtutem daemonum, quoniam si quis secreta immundarum cogitationum revelaverit sanctis Patribus (i. e. animae Directori) » (in *Vit. Patr.* l. 3). — III. « Aurem tuam spiritualibus sermonibus frequenter accommoda, et mentem, ab immundis cogitationibus elongabis » (Thalasiaus). — IV. « Quantumque turpis fuerit cogitatio, non polluit mentem, dum displicet » (Trithem.). Unde « nihil interest quale sit illud quod cogitatur, sed qualis ex ipsa cogitatione affectus consequatur; quia cogitatio mentem non polluit, ubi delectatio mentem non corrumpit » (Hugo a S. Vict. l. 4, *de Arc. Noe, Moral.* c. 8). — V. « Magno studio superfluae cogitationes amputandae sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt, semper enim caro superflua generat, quae semper spiritus ferro sollicitudinis recidat » (S. Greg. Magn. l. 5 *Moral.* c. 23). Unde semper resistendum in hac vita, ut victoriam et gloriam obtineamus. — VI. Cogitationes pravae saepissime ex Daemonis malitia torquent (et Deo permittente ad probationem) animas maxime de perfectione sollicitas. Item incipientes non raro crudeliter affligunt. Caveant ergo omnes, ne animo decidant, ne pacem amittant, ne iracundi efficiantur et tristes nimis, cum ex tali tristitia et perturbatione et iracundia, novas vires accipit diabolus, et nos inaptiores

reddimus ad perfecte resistendum. Maximum tentatorum remedium, praeter orationem, est obedientia erga confessarium et animae directorem; humilitas et fiducia in Deo qui ipsis non negabit virtutem ad inimicum confundendum. Ergo errant qui ob tentationum frequentiam se credunt a Deo derelictos, aut minus a Deo adjuutos.

149. — **Memoria** est *facultas conservandi seu revocandi intentiones: vel, virtus cognitiones antea habitas revocandi et ut antea habitas recognoscendi: unde ejus objectum est praeteritum ut praeteritum*, ac proinde memoriae objectum essentialiter consistit in *recognitione cognitionis ut antea habitae*, potiusquam in ejusdem cognitionis revocatione. — Unde I. **MEMORIA SENSITIVA RECTE DEFINITUR** facultas qua revocantur et recognoscuntur sensationes antea habitae, et iis mediantibus, res antea sentitae.

II. *Cognitio praeteriti modo distincto sive notio universalis et abstracta praeteriti haberi potest a sola rationali facultate: unde memoria sensitiva percipit tantum praeteritum modo confuso*, seu ut quid singulare et determinatum spectatum in actibus et rebus sensibilibus et concretis; seu, ut alii melius explicant, *memoria sensitiva percipit in re sensibili, id est, in sensatione antea habita res determinatas, concretas*, singulares, immixtas conditionibus ejus materialibus, ita ut ex eo quod res successive pluries apprehenditur, sentitur diversitas temporum in successivis perceptionibus ejusdem.

III. *Homo propria etiam industria et virtute*

recordatur, ac proinde ejus memoriae adjungitur Reminiscencia, qua mens ope imperfectae recordationis conatur assequi plenam revocationem et recognitionem alicujus objecti, quae reminiscencia indiget influxu et directione intelligentiae et voluntatis, cum simplex memoria sensitiva sit spontanea. — Nota quod memoria in actu proprie vocatur *recordatio*.

IV. **Memoria intellectiva** est virtus per quam mens conservat et recognoscit intellectuales notiones antea habitas. — 1° Ejus objectum sunt notiones universales et immateriales antea habitae, quod etiam est objectum idem specie cum objecto ipsius intellectus. — 2° *Memoria intellectualis specificè non distinguitur ab intellectu*, etsi sit ejus specialis operatio. — 3° Distinguitur tamen, ut patet ex definitione, a memoria sensitiva de qua hic praecipue agimus. — 4° Praeteritum ut tale per se non est proprium objectum memoriae intellectivae, licet illa exerceri nequeat quin exhibeat praeteritum, unde admittit tantum praeteritionem *intellectionis* antea habitae. — 5° Attamen **ACTUS MEMORIAE INTELLECTIVAE IMPORTAT SIMULTANEUM MEMORIAE SENSITIVAE EXERCITIUM**, nam in praesenti vita, anima nihil intelligere potest sine phantasmate, ac proinde ad revocandam priorem intellectionem, opus est phantasmate ipsi respondente quod suppeditatur per memoriam sensitivam, ut docet Angelicus. Et sic intelligendum quod dicunt scholastici cum D. Th. scilicet, quod memoria ut virtus conservativa specierum intelligibilium est, ad partem spectat intellectivam: ut vero ad praeterita